



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1665**

Facvltas Reverendissimi Patris Commissarij Generalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)



# FACULTAS

Reverendissimi Patris Commissarii Generalis.

**T**heologia Sacramentalis Scholastica & Moralis Pars prima, à R. Adm. Patre F. JOANNE BOSCO Ordinis nostri Seraphici almæ nostræ Provinciæ Fratrum Minorum inferioris Germaniæ S. Theologiæ Lectore Jubilato &c. sic elaborata, ut à Theologis ejusdem Ordinis & Provinciæ examinata, non tantum approbetur, sed etiam laudetur singulariter, atque grata & utilis futura speretur; cum Sanctæ Obedientiæ merito typis mandari poterit, accedente eorum licentiâ, quorum interest. Datum Mechliniæ in Conventu nostro Fratrum Minorum 18. Martij 1665.

F. JACOBUS DE RIDDERE Commissarius  
Generalis FF. Minor. Nationis Germano-Belgiæ.

# FACULTAS

Reverendi admodum P. Ministri Provincialis.

**U**T Pars prima Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ & Moralis, in qua tractatur de Sacramentis in genere, & duobus primis in specie, à Reverendo Patre F. JOANNE BOSCO Ordinis Seraphici S. Theologiæ Lectore Jubilato, ac Provinciæ nostræ olim Definitore composita, ac à Theologis Ordinis probata & laudata, publici juris fiat, accedente calculo Censoris Apostolici vel Ordinarij, virtute præsentium concedo facultatem; eò propensius, quod durante multorum annorum convictu, & Cathedræ Theologicæ confortio, in Authore singulare studium veritatis & Doctrinæ soliditatem clarè perspexerim. Datum Bruxellæ in Conventu nostro Fratrum Minorum sub meo Chyrographo officijque sigillo minori, Anno Domini 1665. Mensis Martij die vigesimâ.

F. GUILIELMUS HERINCX Ministres  
Provincialis Germaniæ Inferioris.

# APPROBATIONES

Theologorum Ordinis.

**I**nscriptus ingenti cum animi voluptate perlegi Partem primam Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ & Moralis à Reverendo Adm. Patre F. JOANNE BOSCO Seraphici Ordinis nostri S. Theologiæ Lectore Jubilato, ac Provinciæ nostræ olim Definitore compositam. Si quidem eam inveni compertæ Auctoris eruditioni, profundæque doctrinæ (quam sedecim annorum, quibus ipsum in docendo Collegam habere merui, experimento probavi) per omnia consentaneam. Singulariter mihi placet in ipso, quod sacras divinæ Scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum auctoritates fidelissimè referat, juxta quod proprijs oculis conspexit in probatis exemplaribus eorundem. Ex quo consequi est necesse, doctrinam ipsius, ut S. Scripturæ, Concilij, Sanctique Patribus & præsertim Augustino conformem, nil fidei aut bonis moribus contrarium continere. Doctorem quoque Subtilem, Aquilam Theologiæ, fortissimè vindicari à falsis & absurdis opinionibus, quæ non rarò eidem ab æmulis (eum in fonte legerè dignantibus) imponuntur. Ob quas causas hoc opus prælo ac publicâ luce dignissimum censeo. Datum Lovanii 27. Martij 1665.

F. HENRICUS IONGHEN S. Theol. Lector Jubilatus  
& Provinciæ Definitor.

Theologia